



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 188. Alia Congregatio in eadem caussa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

## §. CLXXXVIII.

Sæcul. XV.  
A.C.1416.*Alia Congregatio in eadem caussa.*

Paucis ex post diebus denuo congressi sunt Patres. Legit Gersonius Universitatis Parisiensis Epistolam, & Episcopus Atrebatensis prolixam habuit orationem in hæc D. Pauli verba. 2. ad *Thessal.* c. 2. v. 2. *Ut non cito moveamini a vestro sensu, terreamini neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Postmodum Epistolam protulit Nationis Picardicæ, quæ etiam Parisiensis Universitatis membrum erat. Ex hac Epistola patebat, hanc nationem nunquam literis a Gersonio lectis assensisse. Atrebatensis Episcopus, quæ in Picardorum epistola continebantur, observationibus a se superadditis firmare incæperat, sed illico tam vehementes oriebantur clamores, ut filere coactus fuerit, quare discessum est. Petiit tamen prævia protestatione, instrumentum confici de illata vi. Biduo post eadem agitabatur materia, sed haud feliciore successu. Præterea Imperator literas dedit ad Cardinales, in quibus Commissariorum acta in caussa Joannis Parvi irritari petiit, huic tres Purpurati responderunt, se damnasse Parisiensis Episcopi sententiam ex juris Doctorum judicio, eo quod

Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

quod hujus causæ discussio, cum de materia fidei ageretur, ad summum Pontificem pertineret, & aliunde partes litigantes ad Parisiensem conventum citatæ non fuissent; Tandem, cum Episcopus, & Inquisitor fidei ab hac Cardinalium sententia, appellassent ad Concilium, ideo illius quoque judicium expectare oporteret. Nec ultra quicquam motum est in hac causa, quæ in Synodo tardius ventilata fuit.

§. CLXXXIX.

*Congregationes in diversis causis.*

Habitæ quoque sunt Congregationes in aliis diversis causis. Die decima quinta, & decima sexta Maji binæ celebrabantur. In prima Antonius Taxal Generalis Ordinis B. V. Mariæ de Mercede nomine Alphonfi Arragonum Regis solemniter Narbonnensem Capitulationem confirmavit, agnovitque Synodum. In secunda Henricus Latzenbogius Argentinam ablegatus est, ut Urbis hujus Episcopum libertati restitui postularet. Synodus postea Episcopos Tolonensem, & D. Pauli Leoneensem nominavit, qui Hussitas in Bohemia falsam doctrinam spargentes Constantiam citarent. In eadem duo Advocati contra Joannem XXIII. conquesti sunt, eo quod oblata ingenti pecunia-